

» vacua fuerit, totamque ordinariam jurisdictionem Episcopalem  
 » libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Aposto-  
 » licas canonicæ suæ institutionis litteras, ut diximus, exhibeat. »

Not. hæc etiam intelligenda esse de Vicario, jure devolutivo a  
 Metropolitano vel antiquiori Episcopo constituto, cum litteræ  
 Apostolicæ declarent et decernant, Vicarium in officio permanere,  
 eumque totam ordinariam jurisdictionem Episcopalem libere et  
 valide exercere, donec novus Episcopus Apostolicas canonicæ suæ  
 institutionis litteras capitulo, vel capitulo deficiente, ei exhibuerit,  
 qui ad normam SS. Canonum vel ex speciali Sanctæ Sedis dispo-  
 sitione, vacantem diœcesim administrat, vel ejusdem administra-  
 torem seu vicarium deputat.

Vicario igitur capitulari constituto, capitulum nullo amplius  
 modo diœcesis administrationi sese immiscere potest. Si Vicarius  
 negligens fuerit, vel ob ægritudinem aliamve causam inhabilis,  
 capitulum aget quoad Vicarium capitularem, quod ageret erga  
 Episcopum, prout dictum est cap. XVII; eique semper datur recur-  
 sus ad Sedem Apostolicam.

## CAPUT XX.

### DE ELECTIONE VICARII CAPITULARIS.

#### § 1. De forma electionis.

I. Nulla in jure adest forma specialis pro vicario capitulari  
 eligendo præfinita; neque ipsum Concilium Tridentinum eam con-  
 stituit, dum statuit, quod capitulum *vicarium infra octo dies post  
 mortem Episcopi constituere vel existentem confirmare omnino  
 teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus,  
 vel alias quantum fieri poterit idoneus.*

Neque necessario sequenda est forma Decretalium lib. 1, tit. VI,  
 de elect. cap. 42, *Quia propter*, neque decreti Concilii Tridentini  
 sess. 25. cap. VI, de regularibus et monialibus, quia in cap. *Quia  
 propter* agitur de electione Prælatorum, qui principalem et per-  
 petuam obtinent jurisdictionem, cum vicarii capitulares sint tem-  
 poranei et momentanei; et in Concilio Tridentino loco allato dis-  
 ponitur de electione superiorum regularium. Nonnulli quidam  
 putant, formam capituli *Quia propter* in electione vicarii capitu-

laris servandam esse: et licet consultum sit, multumque conveniat,  
 quod, uti Concilium Tridentinum pro electione superiorum regu-  
 larium præscribit, electio per vota secreta fiat; tum ad plura præ-  
 cavenda incommoda, quæ oriri possunt, tum quia agitur de negotio  
 sane gravi, qualis est electio personæ, quæ ordinariam Episcopalem  
 jurisdictionem exercere debet; hæc tamen forma in electione seu  
 deputatione vicarii capitularis de necessitate servanda non est (1);  
 sed satis est, si capitulares collegialiter congregati, per plura vota,  
 quempiam cæteroquin habilem eligant, quomodocumque consensum  
 suum expriment (2). Eæ tamen conditiones servari debent, quæ  
 veluti ex rei natura profluunt, quæque cuicumque electioni a certo  
 personarum collegio peragendæ per se inhærent (3).

Hujusmodi conditiones observandæ, sunt 1º, quod electio colle-  
 gialiter et capitulariter sit perficienda: aliter enim electio non  
 esset actus a corpore morali collective elicited, sed potius resol-  
 veretur in tot suffragia seorsim sumpta singulorum electorum,  
 quæ actum moraliter unum constituere nequeunt, quemadmodum  
 aperte traditur in decretalibus lib. 1, tit. VI, de elect. cap. 55,  
*In Genesi.*

2º Vota sint libera, et non coacta.

3º Major pars electorum præsentium in ejusdem personæ elec-  
 tionem consentiat, quacumque ratione id fiat, sive in scriptis, sive  
 oretenus (4).

#### § 2. Quomodo electio vicarii capitularis collegialiter et capitulariter perficienda est.

1º Ad constituendum vicarium capitularem, capitulum legitime  
 convocandum est ab eo, ad quem de jure vel consuetudine spectat,  
 indicatis loco, die et hora.

(1) S. C. C. 17 Jul. 1655 *Sulmonen*; 11 Maji 1669, *Assisten*, quæ referuntur in  
*Leopoldien*. 14 Januarii 1736; 9 Aug. 1862. Acta S. Sedis, vol. 8, fol. 389; Pigna-  
 telli tom. 8, consult. 34; Cardinalis de Luca de canon. disc. 26, n. 3 et seq.;  
 Garcias de beneficiis, p. 5, cap. 7, n. 21 et 22; Scarfantonius lib. IV, tit. VII,  
 animadv. 22 et seq.; Lucius Ferraris, *Vicarius capit.* art. 1, n. 64; Lucidi de  
 Visitatione SS. Lim. vol. 2, postulatam XIV, n. 120; Hermes, dissertatio de  
 capit. sede vacante cap. IV.

(2) Reiffenstuel, lib. 1, Decretal. tit. VI, de electione n. 112.

(3) Acta S. Sedis, vol. 1, fol. 163, IV.

(4) Acta S. Sedis, vol. 8, fol. 401.

2° Convocandi sunt omnes, qui de jure vel consuetudine jus suffragii seu vocem activam in capitulo habent, etiam absentes, qui, habita ratione termini octo dierum infra quos vicarius eligendus est, commode vocari et adesse possunt, ut dicitur cap. XXXII, § 8 et 9.

3° Vota dari debent collegialiter in capitulo; ita ut non suffragetur consensus capitularium extra capitulum, licet redactus in scriptis; neque valeat consensus, etiam omnium capitularium, extra capitulum datus; ac nulla sit electio, facta dissoluto capitulo. Ratio est quia ex dispositione Concilii Tridentini constitutio vicarii ad capitulum tanquam collegium, non vero ad canonicos ut singulos spectat (1). An et quatenus hæ conditiones requirantur, longius explicabitur, ubi de capitulo habendo agetur.

4° Constitui possunt unus, duo vel plures scrutatores, qui schedulas colligunt, numerant, aperiunt, legunt, publicant. Juxta Decretales lib. 1, tit. VI, de electione cap. 42, *Quia propter* assumendi sunt tres fide digni, qui secrete et singulatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta, mox publicent in communi; cum autem hæc forma in electione Vicarii capitularis, ut dictum est, necessaria non sit, scrutatores eligi et constitui possunt, prout opus vel solitum fuerit, vel statuta capitularia præscribunt.

§ 3. *De numero votorum, requisito ad Vicarium capitularem eligendum.*

I. Ad eligendum et constituendum Vicarium capitularem requiritur major numerus votorum respectu omnium capitularium præsentium et suffragium ferentium. Ita præsentibus duodecim canonicis, septem requiruntur vota.

Votorum igitur mediatas seu paritas non sufficit, v. g. sex ex duodecim, quia absolute requiritur, ut electio fiat per pluralitatem votorum, quæ non adest, nisi medietatem excedat (2).

Sufficit tamen quicumque excessus ultra medietatem, etiam unius medii voti, v. g. si sint tredecim, septem vota sufficiunt, et majorem partem constituunt: cum enim jura loquantur indistincte,

(1) Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VI, de electione n. 113 et 114; Scarfantonus lib. IV, tit. VII, n. 29; Zamboni, *Vicarius capit.* t. IV, § 1; Hermes cap. IV.

(2) Louvrex, dissert. VI, n. 53.

quod valeat electio facta a majori parte capituli; et nullibi addant, debere esse excessum unius integri voti, qualiscumque sufficit excessus; nam ubi jura non distinguunt, neque nos distinguere debemus (1).

Dicitur autem *respectu omnium capitularium præsentium*, tum quia absentium canonicè citatorum non est habenda ratio; cum enim vocati fuerint, et non comparuerint, ipsi sese alienos reddiderunt (2): tum quia de jure non sufficiunt majora seu plura vota in comparatione alterius minoris partis, sed requiruntur plura vota respectu omnium capitularium præsentium; v. g. si ex undecim capitularibus præsentibus, quinque eligant Petrum, quatuor Joannem, et duo Andream; quinque prima vota sunt quidem majora in comparatione illorum, qui Joannem vel Andream elegerunt, sed non respectu omnium capitularium præsentium, uti de jure requiritur, ideoque non sufficiunt; ad majorem enim in hoc casu numerum constituendum, sex ad minus vota ex undecim requiruntur.

Item additur *suffragium ferentium*, quia inter capitulares præsentibus, illi soli numerandi sunt, qui jure suffragii gaudent, non autem unus et alter, qui defectu ætatis aut ordinis sacri a jure prohibetur vocem in capitulo habere, v. g. si inter viginti capitulares unus adsit clericus, qui subdiaconatus ordine caret, et voce igitur privetur, decem vota sufficiunt, ad majorem numerum efficiendum et vicarium eligendum (3).

II. Per se non convenit, votum suum sibi ipsi dare; an autem electioni vicarii capitularis obstet, si quis votum sibi ipsi dederit, et sic pluralitatem votorum obtinuerit, dicitur cap. XXXII, § 18 ad II.

III. " Quod si nonnulli ex canonicè vocatis tempore præfixo non accesserint ad locum capitularem, cæteri constituunt capitulum, et gesta ab his valent ac si acta fuissent ab omnibus, etiamsi qui convenerunt, essent in minori numero duarum partium ex tribus. Ratio est, quia convocatio facta per habentem auctoritatem, comparere renuentes constituit in contumacia, hoc est, voluntaria inobedientia, et uti contumaces habentur pro illa vice quoad actum

(1) Ita Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. n. 139.

(2) Cap. *Cum nobis* lib. 1, Decretal. tit. VI, n. XIX, Reiffenstuel hoc loco n. 138.

(3) S. C. C. 9 Aug. 1862 in Actis S. Sedis vol. 8, fol. 389; Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. n. 138 et 139; Hermes, cap. IV; Bouix p. 1, sect. IV, cap. 1; Scarfantonus lib. IV, tit. VII, animadv. 24.

illum, ac si non essent de capitulo; et valet quod faciunt reliqui capitulares qui venerunt. »

« Huic autem doctrinæ non obstat quod quam plures tradunt, opus esse ad constituendum capitulum et expediendum actum, quod adveniant et sint præsentibus in loco capitulari duæ partes ex tribus canonicorum residentium et habentium vocem in capitulo; quia dicti doctores loquuntur de capitulo ordinario, ad quod accedunt non intimati aut citati, et propterea excusantur a contumacia. »

« Cæterum canonicis secundum modum debitum citatis, jussu præfecti vel alterius ad quem ex dispositione statuti attinet, et multis non comparentibus in solito vel designato loco, non solum major pars, sed tres tantum canonici qui convocati comparuerunt, possunt explere actum; si quidem ternarius numerus facit capitulum. Quinimo duo, vel unus, aliis convocatis et in termino non venientibus, possunt eligere et actum explere, nominando coram scriba et testibus » (1).

Similiter si incepto electionis tractatu aliqui egrediantur, et redire nolint, remanentes sine illis procedere possunt, dummodo major pars capitularium egressa non fuerit. Ita clare desumitur ex cap. *Cum nobis* supra cit. ubi etiam tales sese alienos fecisse dicuntur, videlicet a capitulo et jure eligendi. Nec obstat, quod recedentes protestentur et appellent, siquidem recedendo faciunt se a capitulo et jure votandi alienos, et paria sunt non venire et non expectare finem (2). Idem dicendum est, si qui capitularium remaneant quidem in capitulo, sed votare nolint. Notandum autem dictum esse, dummodo major pars capitularium egressa non fuerit, quia si major pars discesserit, ipsi censentur velle dissolvere capitularem conventum; unde alii numero pauciores obtemperare debent saltem in capitulo ordinario, ut dicitur cap. XXXII, § 20, n. I. Quod tamen limitandum est dummodo non instet terminus ad electionem faciendam a jure præfixus; quia tunc posset procedere minor pars præsens, etiamsi remaneret unus: neque enim is tenetur dimittere jus suum propter absentiam aliorum; simulque in termino monentur omnes a jure, ac dies pro homine censetur interpellare. Idem erit, si consuetudo vel statutum ecclesiæ habeat, ut unus, v. g. decanus vel senior jus habeat decernendi diem electionis;

(1) Ita Ceccoperius lib. 4, tit. 2, n. 10-19; Reiffenstuel, lib. 1, Decretal. tit. VI, de electione n. 197; Bouix p. 1, sect. IV, cap. 1, § 1, n. 4; Craisson n. 396.

(2) Ita Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VI, de electione n. 200.

nam tunc qui venire negligunt, vel temere recedunt, ob suam contumaciam perdunt jus eligendi, ac remanet hoc in solis remanentibus, etsi numero paucioribus (1).

Idipsum procedit omnibus canonicis voce privatis, vel suspensis, aut interdictis, sive excommunicatis, vel mortuis, præter unum. Siquidem non dissolvitur capitulum nisi per mortem omnium capitularium, vel auctoritate Papæ ob delictum singulorum. Quamvis enim capitulum ab initio per unum instituti nequeat; si tamen ad unum redigatur, adhuc potest nomen retinere, non quia unus est capitulum, sed quia jura et privilegia capituli devolutive resident in illo uno, qui eo casu pro pluribus consideratur (2).

IV. Quod si post factam electionem et votorum collationem nullus votorum pluralitatem habeat, iterandum est scrutineum toties, quoties opus fuerit, donec aliquis a majori parte electus fuerit. Si autem intra terminum juris capitulares in majori parte non conveniant, electio devolvitur ad superiorem (3).

Si tamen nemo vota sufficientia habuerit, valet tunc etiam accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato scrutineo in capitulo, modo decretum electionis publicatum non fuerit, et consessus capitularis non dissolutus. Ratio est, quia, præterquam quod ex votis minoris partis non possit sequi electio, simulque nullum jus acquisitum nominato, sufficit tamen, quomodocumque capitulares collegialiter congregati, quempiam cæteroquin habilem eligant: ergo nihil prohibet, quominus eligentes consensum suum præstent per accessum minoris partis ad majorem; non enim necessario eligunt per vota secreta et singulim præstita in scrutineo sicut in electionibus, in quibus forma in cap. *Quia propter* præscripta, servanda est. Si tamen per consensum postea accederent, videlicet post dissolutum capitulum aut post publicatum electionis decretum, electio minime valida evaderet, etsi omnes consentirent et subscriberent, quia consensus capitulariter et collegialiter præstari debet, et non sufficit, si postea detur a singulis (4).

(1) Ita Reiffenstuel loco cit. n. 202; Ceccoperius loco cit. n. 26-29; Bouix loco cit.

(2) Ita Ceccoperius lib. 4, tit. 2, n. 22 et 23; Scarfantonius 1 p. decision. 51, S. Rotæ Rom. n. 8 et 9; Cardinalis de Luca, Annot. disc. 31; Bouix de capit. p. 1, sect. IV, cap. 1, § 1 et p. V, cap. XVII, § 6.

(3) Louvrex dissert. VI, n. 52; Barbosa de canonicis, cap. 42, n. 30.

(4) Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. n. 141 et 302 et seq. Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. 1, n. 66; Craisson n. 408.

Quod si capitulares, in majori etiam numero, scienter eligant indignum, v. g. ob defectum scientiæ, qualitatis doctoris, etc. aliqui vero dignum, licet hi in minori sint numero; horum tamen sustinetur electio, quia male eligentium jus consolidatur pro illa vice in bene eligentibus, juxta decretal. lib. 1, tit. VI, de electione cap. XXII *Dudum* (1). Plures tamen auctores e contra censent, et docent, minorem capituli partem, etsi eligat pollentem prærogativis a Concilio Tridentino requisitis, nunquam tamen in hac materia legitimam perficere electionem, majori parte inhabili aut non graduato suffragante, prout pluries S. C. Congregatio declaravit (2).

§ 4. *Post electionem quid faciendum.*

I. Facta electione seu scrutineo, illi ad quos juxta consuetudinem vel statuta capitularia pertinet, vel scrutatores ad hoc electi, omnibus capitularibus prout placuerit videntibus et attendentibus, schedulas aperiunt, vota numerant, et prælegunt seu publicant in capitulo.

II. Si nullus votorum pluralitatem obtinuerit, iterandum est scrutineum, ut paragrapho præcedente jam dictum est, toties quoties opus fuerit.

Similiter si aliquis pluralitatem votorum quidem consecutus fuerit, sed juri suo renuntiet, et officium vicarii acceptare recuset, capitulares possunt et debent alium eligere, repetendo scrutineum.

Insuper quando publicato scrutineo, apparet nominatum esse ineligibilem, capitulares variare possunt, novum scrutineum inchoando, et alium eligendo, quia electio de inhabili facta non tenet, et ipso jure nulla est. Secus autem si electio ipso jure non sit irrita, sed per superiorem rescindenda: in hoc casu capitulares neque variare neque novum scrutineum inchoare possunt, sed superioris est, electionem confirmare vel rescindere (3).

III. Si vero scrutineo in capitulo publicato, aliquis votorum pluralitatem habeat, electio facta est, res finita, et capitulares

(1) Scarfantonus lib. 4, tit. VII, animadv. 51; Giraldis de poenis ecclesiast. p. 2, *Electio*, cap. III, n. VII.

(2) 8 Jul. 1702, in *Aliphana*; 23 Feb. 1709 in *Acernensi*; 11 Sept. 1717 in *Nazarena*, apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 41, 43 et 53; Cardinalis d'Andrea in voto ad causam *Caurien, et aliarum* 25 Januarii 1862, Thesaur. S. C. C. tom. 121, p. 14; Bouix de capitul. p. V, sect. 1, cap. XI, n. VIII; Hermes cap. VI, § 1.

(3) Reiffenstuel, lib. 1, Decretal. tit. VI de elect. § 12, n. 296-299.

amplius mutare nequeunt, neque novum scrutineum instituere valent, quia electus, supposita acceptatione, eo ipso est vicarius capitularis, in quem eodem actu transit jurisdictio; et sicut capitulum vicarium capitularem deponere nequit, ut dictum est cap. XIX, § 7, sic eo ipso, quo est electus et constitutus, eum amplius recusare non valet.

IV. Facta electione, Vicarius capitularis jurisdictionem statim exercere potest, etiam ante confectas sibi que traditas litteras patentes electionis suæ, non obstante Decretali in Sexto lib. 1, tit. VI, de electione cap. V, *Avaritiæ*. Licet enim dictæ Decretalis dispositio procedat, nedum in prælaturis, sed etiam in inferioribus beneficiis; attamen id procedit, quando agitur de actu, qui exigit ad ejus perfectionem auctoritatem superioris, ut est in casu electionis, quæ indiget confirmatione: vel ubi agitur de præsentatione seu nominatione ad beneficium, unde necessaria sit institutio seu provisio superioris. Secus autem in hac subjecta materia, in qua non agitur, nec de vera electione, nec de præsentatione seu nominatione exigente post se alium actum ad sui perfectionem, sed agitur de simplici deputatione sonante in mandatum, quod Episcopus, vel prælatus, vel ejus loco capitulum, vicario dare dicitur; quod mandatum ad sui essentiam non exigit scripturam, sed etiam oretenus dari potest. Litteræ siquidem patentes expediuntur ad probationem, non autem ad substantiam vel perfectionem actus, cum nullo jure cautum sit, eas requiri de substantia (1). Unde vicarius capitularis statim ac legitime electus fuit, jurisdictionem exercere potest, etiam ante acceptas patentes litteras, quæ tamen ipsi a capitulo tradi debent, ad finem faciendam de electione (2).

CAPUT XXI.

DE CASIBUS IN QUIBUS ELECTIO SEU DEPUTATIO VICARII CAPITULARIS NEGLIGITUR VEL ILLEGITIME EXERCETUR.

§ 1. *Quinam sunt illi casus.*

I. Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XVI, de reform. statuit, ut « Capitulum, sede vacante... officialem seu vicarium infra octo

(1) Ita Cardinalis de Luca, de canonicis discursu 26, n. 10; et uti communis est sententia juxta Bouix p. V, sect. 1, cap. XVII, § IX; Hermes cap. IV.

(2) Bouix ibidem.